DIEI NATALIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI I.

GERMANORUM IMPERATORIS
REGIS BORUSSIAE

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

EDUARDO LUEBBERT

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XX. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXX

IN MAGNA AULA HORA I. POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS

INEST EDUARDI LUEBBERTI DISSERTATIO DE PINDARI CARMINE PYTHICO SECUNDO.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA.
EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).
1880.

De Pindari carmine Pythico secundo.

Pindari carmen Pythicum secundum pulchrum est aenigma. Id quotiens legimus, idem pati videmur, quod accidit templum aliquod pulcherrimum, cuius valvas aedituus nondum aperuit, spectantibus: vestibulum, columnas, zophorum admiramur; in sacrarium ipsum scrutatorum oculi curiosi non penetrant, nisi quod per rimam fortasse vel ostii fortuitum foramen sanctum illud et inpenetrabile crepusculum comparet, quo deorum simulacra et thesaurorum copiae obvolvuntur. Eius in hoc carmine Pythico obscuritatis caussa haud dubie potissuma fabula illa de Ixione est, quam loco ut assolet in fabulis mythicis maxume conspicuo et splendido Pindarus carmini inseruit. Postquam enim paullo post ingressum de dulci bene factorum memoria, quod hominum bene meritorum pulcherrimum praemium sit, locutus est, quam rem Cinyrae, Cypriorum regis, exemplo comprobat, et ipsius Hieronis, qui virginum Locrensium, venuste ex aedibus prodeuntium cantu et voce ut salutis et libertatis auctor celebretur, eum in modum pergit, ut atrocem Ixionis fabulam subnectat (v. 21).

Etenim Iuppiter optimus maximus, quae est eius inenarrabilis erga mortales benignitas, Ixionem in caeli hospitium et contubernium receptum mensae suae participem fecerat, nectaris et ambrosiae convivam. Sed erat in Phlegyae filio ferreum et indomitum ingenium, ne tanto quidem amoris divini documento emollitum. Erupit innata ferocitas. Itaque primum ille avaritiae facibus incensus Deioneum socerum, qui in hospitium ad Ixionem deverterat, sceleste interemit; deinde ad ipsam Iunonem, nihil maiestatem divinam reveritus, oculos attollere ausus est. Qua perfidia animadversa Iuppiter fraudem fraude reppulit. Pro Iunone Nubem Ixion amplexus est, ex quo coniugio proles immitis et ferox, Centaurus gigas, originem traxit, pater Centaurorum bicorporum. Ixion deinde debitam mercedem tulit. In rotam alligatus est, addito, ut perpetuo hanc vocem ederet (v. 24): *τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι*

Posteaquam hanc fabulam poeta enarravit paucis de deorum potestate insuperabili adiectis pergit deinde hunc in modum v. 52: At vero semper sese a nimio reprehendendi studio abhorruisse, Archilochi exemplo edoctum, qui pauper et sine amicis vixerit v. 54 *εἶδον γὰρ ἑκὰς ἐὼν τὰ πόλλ' ἐν ἀμαχανίᾳ | ψογερὸν Ἀρχίλοχον βαρυλόγοις ἔχθεσιν | πιαινόμενον.* In his prior carminis pars (v. 56) finitur.

Atqui iam inter antiquos criticos dubitatio orta est, quid sibi vellet Ixionis, cuius nomen fere propter perfidiam in proverbium abiit (Hor. ars poet. 124), memoria in carmine in Hieronis laudem conscripto; sed illi mirabundi potius caput quassarunt, quam rem extricaverunt, schol. Pyth. 2, 39 *τίνος ἕνεκα τοὺς περὶ τὸν Ἰξίονα παρεμβέβληκε λόγους ὁ Πίνδαρος; εἰ γὰρ οἱ Λοκροὶ ἀνθ' ὧν εὐηργετήθησαν ὑφ' Ἱέρωνος, ᾄδουσιν αὐτὸν, εἰς οὐδὲν ὁ Ἰξίων αὐτῷ παρῆκται. τότε γὰρ ἐχρῆν εἰς παράδειγμα αὐτὸν ἄγεσθαι, εἰ μή γε χάριτος οἱ Λοκροί, ὥσπερ ὁ Ἰξίων, ἐμνήσθησαν.* Egregiam deinde lucem ad hanc rem illustrandam Boeckhius accendit, qui inde profectus, quod hoc carmen anno fere Ol. 75, 4 = 477 ortum videatur, optime monuit, unam maxume rem fuisse, quae primos duos dominationis Hieronis annos (478 et 477) prorsus occuparit, quaeque eiusmodi fuerit, ut haud dubie Pindari animum magnopere versare et sollicitum habere debuerit: graves illae discordiae inter Hieronem et Polyzelum fratrem ortae, quibus Thero quoque, Polyzeli socer, Demaretae pater, implicatus fuerit. Earum discordiarum caussam penes Hieronem fuisse veteres testes consensu prope affirmant. Ac semina quidem inimicitiarum in ipsa ingeniorum diversitate iam latebant. Polyzelus liberalis affabilisque Syracusanorum favore florebat, schol. Ol. 2, 29 p. 65 *λαμπροῦ τινος τοῦ Πολυζήλου ὑπάρχοντος καί σφόδρα παρὰ τοῖς Σικελικοῖς εὐδοκιμοῦντος* et ibid. p. 64 *λαμπρῷ δὲ αὐτῷ καί περιβλέπτῳ τυγχάνοντι.* Hiero contra parcus, occultus, ad invidiam pronus, vi potius et mercennariorum ope regnabat, Diod. 11, 67 *ἦν γὰρ καὶ φιλάργυρος καὶ βίαιος καὶ καθόλου τῆς ἁπλότητος καὶ καλοκἀγαθίας . . . ἀλλοτριώτατος* et Diod 11, 48 *ξενολογῶν καὶ περὶ αὐτὸν σύστημα ξένων παρασκευάζων ὑπελάμβανεν ἀσφαλῶς καθέξειν τὴν βασιλείαν.* Huc accedebat, quod Gelo in testamento Polyzelo magistratum praeturae atque viduae Demaretae coniugium mandaverat, schol. Ol. 2, 29 *τὴν στρατηγίαν καὶ τὴν γαμετὴν τοῦ ἀδελφοῦ διαδέχεται κατὰ τὰς Γέλωνος . . . προστάξεις, ὥστε τὸ Θήρωνος . . . κῆδος εἰς τὸν Πολύζηλον μετατεθεῖσθαι.*

Cum igitur larga suspitionum et criminationum materia suppeteret, atrox consilium Hieron cepisse dicitur. Commode accidit, ut eo tempore Sybaritae Hieronis adversus Crotoniatas auxilium enixe implorarent. Hanc igitur expeditionem mandavit

Polyzelo, specie honorificam et quae opimam laureis colligendis opportunitatem ei praeberet; re vera ut frater hostium acerrimorum impetu mortem oppeteret, schol. Ol. 2, 29 p. 65 *τῷ μὲν λόγῳ χρηστὴν αὐτῷ καί λαμπρὰν ἐλπίδα τιθείς, τοῖς δὲ ἔργοις μεταστὰς αὐτὸν ἐκ τῆς Σικελίας* et Diod. 11, 48 *νομίζων αὐτὸν ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν ἀναιρεθήσεσθαι.* Sed senserat insidias Polyzelus. Itaque spretis Hieronis iussis ad Theronem Agrigenti tyrannum se contulit, comite ut videtur uxore Demareta. Hisce iniuriis accensus Thero bellum moliebatur, nec cunctatus est Hiero. Itaque anno Ol. 76, 1 = 476 utrinque ad bellum exitum est. Exercitus iam apud Gelam fluvium ex adverso castra posuerant, cum subito reputantibus, quam anceps belli fortuna esset pacis desiderium obortum est. Itaque suasore maxume Simonide poeta pax composita est in has potissumum conditiones, ut Polyzelus Syracusas rediret, Hieron ipse quasi pignoris caussa Xenocratis, Theronis fratris, filiam in matrimonium duceret, schol. rec. Ol. 2, 29 p. 65 *Θήρων οὖν ὑπεραγανακτήσας θυγατρὸς ἅμα καὶ γαμβροῦ, συνάξαι πρὸς Ἱέρωνα ἠβούλετο πόλεμον, ὅν Σιμωνίδης ὁ λυρικὸς καταπαύει διαλλάξας, ὡς καὶ κηδείαν πρὸς ἀλλήλους ποιήσασθαι.* Hieronis novam nuptam Xenocratis filiam, Thrasybuli sororem fuisse, planissime testatur schol. Isthm. 2, introduct. p. 524 *Θρασύβουλοι δὲ διττοί· ὁ μὲν Αἰνομένους νεώτατος ἀδελφὸς τῶν περὶ Ἱέρωνα καὶ Γέλωνα, ὁ δὲ τῆς γυναικὸς τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφὸς, οὗ νῦν μνημονεύει Πίνδαρος,* quem locum optime indicavit Boeckhius, Explicatt. p. 119.

Haec igitur est discordiarum illarum Hieronis cum Polyzelo et Therone historia, initio quidem tristis, exitu suo aliquanto laetior. Et has quidem turbas primis duobus annis, quo tempore exitus ille necopinatus nullo modo praevideri poterat, Pindari animum vehementer afflixisse, multis documentis colligi potest. Pindarus inde a flore aetatis cum Theronis familia mutua amicitia coniunctus fuit. Anno Ol. 71, 3 = 494 Theronis fratri Xenocrati, qui curru in Pythiis vicerat, aurigae officio fungente Thrasybulo filio, carmen Pythicum 6 composuit, quo egregium filii erga patrem obsequium et pietatem celebrat. Theronem vero ipsum quanti fecerit Pindarus et quantopere ex intimis praecordiis eum dilexerit, luculenter apparet ex carmine Olymp. 2, in quo cum alia multa praeclare dicta insunt, tum locus ille praestantissimus caelestis visionis quadam luce perfusus, quo vitae post mortem futurae spem Theroni ut pulcherrimum vitae aerumnarum solatium vaticinatur, v. 75 *ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐστρὶς | ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν | ψυχὰν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρόνου | τύρσιν· ἔνθα μακάρων | νᾶσος ὠκεανίδες | αὖραι περιπνέοισιν, ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει.* Haec scripta sunt anno Ol. 76, 1 = 476 paullo post pacem inter Theronem et Hieronem reconciliatam.

Iam Boeckhii argumentationis summa colligenda est. Pindarus igitur, cum illis discordiis et odio fraterno hominum sibi ex intimo animo dilectorum felicitatem concussam et ad naufragium prope adductam intellegeret, non is fuit, qui in carmine eodem tempore scripto, animo conniventi et hebeti has curas silentio premeret et Hieronem inani tinnitu verborum caneret; immo hanc cogitationem ne unum quidem diem ex animo deposuisse credendus est. Quam ob rem Pindarus hac occasione carminis pangendi oblata consilio salutari et animo eius ingenuo plane digno Ixionis fabulam intexuit, qua Hieronem cohortaretur: reputaret tandem, quo progressurus esset. Ac duas potissimum res esse Boeckhius opinatur, quae mirifica similitudine Hieronis animum ferire debuerint. Primum Ixion quemadmodum socero Deioneo, ita Hieron fratri insidias struxerat. Deinde ne illud quidem, quod Iunonis maiestatem Ixion temerare ausus est, sine tecta quadam Hieronis reprehensione dictum esse. Nam Polyzelus una cum Demareta, quam e testamento Gelonis in matrimonium duxerat, tutelam pueri, quem impuberem Gelo reliquerat, nactus erat. Hac tutela ut potiretur, haec est Boeckhii coniectura, Hieronem Demaretae coniugium appetivisse idque sublato Polyzelo paratum sibi fore speravisse. Iam de Boeckhii explicandi ratione si nunc iudicium ferendum sit, primo quidem adspectu illa imago tantopere cum ipsarum rerum cursu et progressu consentire videtur, ut non tam arte et eruditione excogitata et adumbrata, quam ex ipsis rebus elicita vocari possit. Itaque Boeckhii explicatio multos semper suffragatores habuit, e quibus nunc unum, nostra aetate rerum Sicularum peritissumum, nominasse sufficiat, Holmium, Histor. Sicil. 1, 221.

Sed licet speciossissima illa sint, quae Boeckhius invenit, negari nullo modo poterit, dubitationes nonnullas tanti ponderis relictas esse, ut tanquam lapides ex tormento, non sine magna strage in Boeckhii munimenta mitti possint. Quare magnum quoque adversariorum agmen exortum est, e quorum nunc argumentis gravissima nonnulla delibemus. Primum non leve illud est, quod G. Hermannus vidit in commentatione de officio interpretis, inserta Opusc. vol. 7, pag. 117: uno saltem eorum criminum, quae Ixionis exemplo illustrentur, liberandum esse Hieronem; Demaretae, Polyzeli uxoris, coniugium non expetivit. Primum enim nemo ex testibus antiquis hoc unquam tradidit. Deinde tutelam filioli Gelonis penes Polyzelum vitricum fuisse minime certum est. Unus est locus, ex quo Polyzeli illam provinciam fuisse vulgo concludunt; schol. Nem. 9, 95 *Τίμαιος ἐν τῇ δευτέρᾳ γράφων οὕτως· Ἐπιτρόπους δὲ τοῦ παιδὸς μετ᾽ ἐκεῖνον κατέστησεν Ἀριστόνουν καὶ Χρόμιον τοὺς κηδεστάς· τούτοις γὰρ ὁ*

Γέλων δέδωκε τὰς ἀδελφάς. Hoc loco qui homo verbis *μετ' ἐκεῖνον* significetur, in coniectura positum est. Boeckhius quidem dicit Explicatt. p. 118 med. »per se enim patet, vitricum factum simul tutorem filii fuisse«. Verum hoc facile refelli potest; quid enim, si mortuo forte Polyzelo tertias nuptias mater iniisset? Tum profecto vitricus privigni tutor futurus non erat. Quae cum ita sint, uti licebit Aristotelis testimonio, qui a Thrasybulo, Gelonis fratre natu minimo, pupillum illum prava educatione corruptum tradit, Politic. 5,10 p. 1312 b 11 *Θρασυβούλου τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφοῦ τὸν υἱὸν τοῦ Γέλωνος δημαγωγοῦντος καὶ πρὸς ἡδονὰς ὁρμοῦντος, ἵν' αὐτὸς ἄρχῃ.* Iam hoc concesso caussa quoque omnis, opinor, sublata est, quae Hieronem ad Demaretae coniugium poscendum compellere potuit. Criminis igitur laesae matrimonii sanctitatis absolutus est Hiero.

Deinde alterum illud, quod statuit Boeckhius, Pindarum inserta Ixionis fabula Hieronem propter insidias, quas Polyzelo molitus sit, carpere voluisse, magnam et ipsum difficultatum molem adfert, de quibus ab adversariis passim monitum est. Primum enim si poetam hoc modo rem egisse nobis persuadeamus, fieri non poterit, quin Pindarus ipse mirificum in modum et quasi dedita opera suis verbis omnem fidem deroget. Nam hoc carmen, quod nomine et genere suo victoris laudibus et decori destinatum est, re vera luculentam et exquisitam Hieronis laudem in altera potissumum parte continet., velut Pyth. 2, 58 *εἰ δέ τις ἤδη κτεάτεσσί τε καὶ περὶ τιμᾷ λέγει | ἕτερόν τιν' ἀν' Ἑλλάδα τῶν πάροιθε γενέσθαι ὑπέρτερον | χαύνᾳ πραπίδι παλαιμονεῖ κενεά.* In his verbum *τιμᾷ* praesertim cum glorians et paene exultans poeta haec omnia eloquatur, non adducor, ut de sola generis nobilitate et regiae dignitatis splendore dictum putem, immo populi rumor et civium fama simul intelleguntur. Deinde magni in hac quaestione momenti est, quod prudentiam inprimis Hieronis Pindarus egregiis laudibus effert (v. 65). Cum in iuventute fortitudine et armorum usu excelluerit, nunc aetatis provectioris pulcherrimum decus consiliorum prudentiam esse. Tanta est, inquit, prudentia tua atque ita in volgus nota, ut quicunque eam laudibus extollat, contradicentes facile profligaturus sit, v. 65 *βουλαὶ δὲ πρεσβύτεραι | ἀκίνδυνον ἐμοὶ ἔπος σὲ ποτὶ πάντα λόγον | ἐπαινεῖν παρέχοντι.* Num credibile est, poetam qui haec scripserit, Hieronem tanquam alterum quendam Ixionem parricidii criminis suspectum habuisse? Iam igitur si Boeckhii interpretationem admittamus, aut quae severa fronte in prima parte dicta sunt, efficient, ut blanda alterius partis verba (v. 59, 66) minus sincere dicta videantur, aut haec laetiora illorum mali ominis verborum gravitatem elevabunt. Neutrum Pindaro satis dignum. Vidimus igitur universam carminis compositionem, quam unam esse oportet, et a qua tantae discrepantiae abesse debent, Boeckhii illi interpretationi non favere.

Haec de carminis compositione. Quaeritur nunc, quid annorum illorum historia et scriptorum testimonia doceant. Tafelius commentariorum doctissimorum in Pindarum loco aliquo (2, 542), dicit, Pindaro illo tempore, quo Boeckhius hoc carmen scriptum opinetur, Hieronis perniciosa erga Polyzelum consilia nondum certo innotescere potuisse. Hoc ipsum, licet aliud quid minus probabiliter inde colligat Tafelius, si historiae vestigia diligenter scrutere, egregie confirmatur. Duo sunt fontes, ex quibus nunc discordiarum Hieronis et Polyzeli historiam hauriamus: Diodorus 11, 48 et Scholia ad Pind. Ol. 2, 29. Sed hi duo unus rursum fiunt; ambo enim ex Timaei historiis fluxerunt. Ac Diodorum quidem in rebus Siculis plane a Timaeo pendere clare et evidenter demonstratum est a Volquardsenio olim huius universitatis collegae optumo, nunc in Georgiam Augustam digresso, in libro subtilissime scripto de Diodori fontibus librorum XI—XVI, Kiliae 1868, p. 80—106. In scholiis Didymus affertur, qui ipse quoque Timaeo ut auctore locupleti et fide digno usus sit. Ambae hae narrationes in rerum capitibus plane conveniunt; insunt tamen nonnullae discrepantiae, cognitu dignissimae, quae ad hanc quaestionem diiudicandam maximi momenti sint. Sed antequam earum narrationum verba — id quod omnino fieri oportet — accuratius expendamus et inter se comparemus, unum praemonendum est, in quo facere non possum, quin a Boeckhio et Volquardsenio paullulum dissentiam. Narrat scholiasta ad Ol. 2, 29 p. 64, Hieronem, ut fratrem ex Sicilia ablegaret, praetenta honorifica caussa, eum ad bellum externum gerendum misisse: *καὶ πρόφασιν σκηψάμενος τὸν πρὸς Συβαρίτας πόλεμον ἀπελαύνει τῆς πατρίδος.* In his Boeckhius Explicatt. p. 118 med. et Volquardsenius p. 90 scholiastam magnopere a Diodoro 11, 48 dissentire censent, quod Diodorus id bellum ad opem Sybaritis ferendam susceptum narret, scholiasta contrarium sentire videatur his verbis usus: *σκηψάμενος τὸν πρὸς Συβαρίτας πόλεμον.* Sed scholiasta cum dicit »bellum adversus Sybaritas«, intelligit »bellum Crotoniatarum adversus Sybaritas«. Harum ambarum civitatium simultates notissimae erant, quare nomen Crotoniatarum apponere supersedit. Alter certe scholiasta, qui ipse quoque Didymi commentarios usurpavit, in quibus Timaei verba apposita erant, bellum illud adiuvandorum Sybaritarum gratia susceptum esse, probe novit l. c. p. 65 *τὸ μὲν πρῶτον εἰς ἀνοικισμὸν αὐτὸν Συβάρεως ἐξέπεμψε.*

Hac igitur dubitatione remota nunc, quo commodius comparatio narrationum Diodori et scholiastae illius superioris institui possit, amborum verba exadversum ponamus.

Diod. 11, 48.

Ἱέρων . . . τὸν μὲν ἀδελφὸν Πολύζηλον ὁρῶν εὐδοκιμοῦντα παρὰ τοῖς Συρακοσίοις καὶ νομίζων αὐτὸν ἔφεδρον ὑπάρχειν τῆς βασιλείας, ἔσπευδεν ἐκποδὼν ποιήσασθαι, αὐτὸς δὲ ξενολογῶν καὶ περὶ αὐτὸν σύστημα ξένων παρασκευάζων ὑπελάμβανεν ἀσφαλῶς καθέξειν τὴν βασιλείαν. διὸ καὶ Συβαριτῶν πολιορκουμένων ὑπὸ Κροτωνιατῶν καὶ δεομένων βοηθῆσαι, στρατιώτας πολλοὺς κατέγραψεν εἰς τὴν στρατιάν, ἣν παρεδίδου Πολυζήλῳ τἀδελφῷ, νομίζων αὐτὸν ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν ἀναιρεθήσεσθαι. τοῦ δὲ Πολυζήλου πρὸς τὴν στρατείαν οὐχ ὑπακούσαντος διὰ τὴν ῥηθεῖσαν ὑποψίαν, δι' ὀργῆς εἶχε τὸν ἀδελφόν, καὶ φυγόντος πρὸς Θήρωνα τὸν Ἀκραγαντίνων τύραννον καταπολεμῆσαι τοῦτον παρεσκευάζετο.

Schol. Ol. 2, 29 p. 64.

Λαμπρῷ δὲ αὐτῷ (τῷ Πολυζήλῳ) καὶ περιβλέπτῳ τυγχάνοντι κατὰ τὴν Σικελίαν Ἱέρων φθονήσας ὁ ἀδελφὸς καὶ πρόφασιν σκηψάμενος τὸν πρὸς Συβαρίτας πόλεμον ἀπελαύνει τῆς πατρίδος. ἀλλὰ καὶ τοῦτον κατώρθωσε τὸν πόλεμον ὁ Πολύζηλος. ὁ δὲ μὴ φέρων γυμνότερον αὐτοῦ κατηγορεῖν ἐπειρᾶτο νεωτερισμοῦ. [Scholiasta recentior l. c. p. 65 med. haec paullulum variat dicens: κατωρθωκότος οὖν καὶ τοῦτον τὸν πόλεμον Πολυζήλου, ὁ Ἱέρων οὐκ ἔχων ὅ, τι γένοιτο, πρὸς αὐτὸν ἐπειρᾶτο νεωτερίζειν.] καὶ οὕτω τὸν Θήρωνα ὑπεραγανακτήσαντα θυγατρὸς ἅμα καὶ γαμβροῦ συρρῆξαι πρὸς Ἱέρωνα πόλεμον παρὰ Γέλλᾳ τῷ Σικελιωτικῷ ποταμῷ.

Haec verba in magno et continuo gravissimarum rerum consensu unam certe discrepantiam continent, accuratiore quaestione dignissimam. Diodorus narrat, Polyzelum bellum ab Hierone sibi mandatum abnuisse (*Πολυζήλου πρὸς τὴν στρατείαν οὐχ ὑπακούσαντος*); deinde cum fratris iram metueret, ad socerum profugisse. Scholiasta e contrario refert Polyzelum bellum illud eventu felici profligasse (*κατώρθωσε τὸν πόλεμον*); Hieronem vero hac victoria offensum potius, quam laetum (— *μὴ φέρων*, ubi de negatione *μή* ex usu posterioris graecitatis posita conferendus Kühnerus, Gramm. Graec. uberior 2, § 513, p. 747 —) nova consilia agitare coepisse, quorum exitum timens Polyzelus ad Theronem confugerit. Iam cum amborum testimonia contrarium testantia ex Timaeo fluxisse dicantur, quaeritur, quid statuendum sit. Et Volquardsenius quidem, in huius aetatis historia inprimis versatus, minorem fidem scholia mereri censet (l. c. p. 91); nam scholiastarum potissimum Pindaricorum hanc esse consuetudinem, ut historicos scriptores male mulcatos dimittant; eius rei luculenta quaedam exempla extare.

Attamen opinor sunt nonnulla, quibus scholiorum auctoritas vindicari possit·

Primum in exemplorum illorum, quae Volquardsenius attulit, uno alterove labes, quam verba scriptorum contraxerunt, non scholii auctorum, sed librariorum culpae tribuenda est. Velut loco illo splendidissimo Schol. Nem. 9, 95 p. 497 vapulet, opinor, librarius; ipsius eius scholii auctoris manum, *οὖ οὗτος ἑταῖρος* (pro: *οὗτος ἕτερος*), in quibus nihil vituperari potest, egregie Boeckhius restituit; conf. Leutschium in Philologo 14, 47 extr. Deinde vero pro eius loci, de quo nunc disputamus (schol. ad Ol. 2, 29), fide spondet cum accuratum dicendi genus et rerum enarratarum copia, tum maxume Didymi nomen, qui Timaei verba in commentariis adposuerat. *Ὁ δὲ Δίδυμος*, inquit l. c. p. 64, *τὸ ἀκριβέστερον τῆς ἱστορίας ἐκτίθεται μάρτυρα Τίμαιον . . . προφερόμενος*. Itaque non ipse scholiasta Timaei opus evolvit, qua in re neclegentiae locus esse potuit, sed omnia parata et in brevius contracta iam apud Didymum invenit, ut non credibile sit, eum suo Marte aliquid adiecisse. Verum haec si recte disputata sunt, nodus quidam in hac quaestione oritur. Nam primum habemus scholiastae narrationem, qua Polyzelus ex bello adversus Crotoniatas, invito sane Hierone, sed re bene gesta rediisse traditur. Testis eius rei Timaeus est Tauromenitanus. E contraria parte stat Diodorus referens, Polyzelum Hieroni dicto audientem non fuisse et ne inito quidem bello ad socerum se recepisse. Huius quoque narrationis sponsor quis est? — Timaeus Tauromenitanus. Sed quamvis haec intricata videantur, non sunt indissolubilia. Nihil enim obstat, quominus statuamus, iam ipsum Timaeum duas diversas eiusdem rei narrationes invenisse, atque cum ipse, utra dignior fide esset, diiudicare non auderet, eas ambas operi suo inseruisse. Deinde qui epitomas illas confecerunt pro arbitratu vel hanc vel illam elegerunt.

Videmus igitur eius belli, quod Polyzelo Hieron iniunxisse traditur, memoriam apud posteros incertam et fluxam fuisse. Atque ipsum quoque Hieronis consilium varie definitur. Diodorus eum fratri perniciem molitum esse aperte dicit. Scholiastae minus crudelia tradunt: eum id tantum spectasse, ut ex Sicilia fratrem ablegaret; schol. Ol. 2, 29 p. 64 *ἀπελαύνει τῆς πατρίδος*, et p. 65 init. *μεταστὰς αὐτὸν ἐκ τῆς Σικελίας*, et p. 65 med. *ἐξάγει τοῦτον τῆς νήσου*. Augetur haec obscuritas, cum tertiam quoque eiusdem rei narrationem inspiciamus, rursus plane diversam, in qua hoc traditur: bellum illud, quod Polyzelus Hieronis mandatu susceperit, gestum esse contra populos barbaros finibus Syracusanorum vicinos; schol. Ol. 2, 29 p. 64 init. *Πολυζήλῳ τῷ ἀδελφῷ Ἱέρωνος, ὃς πεμφθεὶς ὑπὸ Ἱέρωνος πολεμῆσαι τοῖς περιοίκοις Σικελεώταις βαρβάροις ἔπαυσε τὸν πόλεμον χωρὶς τοῦ Ἱέρωνος γνώμης*. Haec non prorsus vana et commenticia esse inde facile intellegi potest, quod alter ille scholiasta, quem

ex Timaeo sua hausisse supra vidimus, bellum illud adversus Crotoniatas a Polyzelo gestum pro secundo numerat, l. c. p. 64 extr. *ἀλλὰ καὶ τοῦτον κατώρθωσε τὸν πόλεμον ὁ Πολύζηλος.*

Iam igitur quid ex his omnibus sequatur, expendendum est. Et hoc quidem plane certum videtur, constantem quandam et indubitatam de discordiis illis Hieronis et Polyzeli famam non extitisse. Diodorus 11, 48 quod nobis persuadere conatur, simplici quadam atrocitate totam rem actam esse (*νομίζων αὐτὸν ὑπὸ τῶν Κροτωνιατῶν ἀναιρεθήσεσθαι*), frustra conititur. Atque ipse cum tradit, Hieronem magnam vim militum ad hoc bellum profligandum contraxisse (*στρατιώτας πολλοὺς κατέγραψεν εἰς τὴν στρατιάν, ἣν παρεδίδου Πολυζήλῳ τἀδελφῷ*), suis verbis fidem derogat. Scholiis rursus ad Ol. 2, 29 p. 64 Didymi nomen, quod praefixum est, et genus dicendi accuratum et rebus copiosum aliquantum fidei conciliat. Itaque si nunc aliquam earum rerum imaginem animo informare licet, nihil quidquam probabilius est, quam hoc: Polyzelus bellum illud, quod Hieronis rogatu susceperat, paullisper ita sustinuit et administravit, ut laudem mereret; deinde cum magis magisque sentiret, inimicos suos et obtrectatores in Hieronis aula maiores in dies spiritus capere, abiecta reconciliandae concordiae spe, ad Theronem socerum confugit. Apparet igitur, cum illae discordiae non subito eruperint, sed sensim et pedetemptim progediendo incrementa ceperint, earum initia tenebris obvoluta fuisse, nec credo quemquam ex aequalibus pro certo affirmare ausurum fuisse, quid Hiero, cum Polyzelum bello in gratiam Sybaritarum suscepto praeficeret, animo agitaverit. Minime constat Hieronem extrema et crudelia voluisse; potuit in ablegando ad tempus fratre acquiescere.

Iam vero rursus oculos convertamus in illam de Ixione fabulam, unde profecti sumus. Oritur denuo illa quaestio, sitne credibile, Pindarum in hac fabula, eo potissumum loco, ubi ab Ixione Deioneum socerum dolo et astutiis interemptum narrat (v. 32 *ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς*), de Hieronis erga Polyzelum perniciosis et perfidis consiliis, inprimis de bello illo adversus Crotoniatas gerendo cogitasse. Vidimus neque apud earum rerum aequales neque apud posteros illam opinionem pervulgatam et constantem fuisse, quae Hieronem atrocium adversus Polyzelum consiliorum reum faceret. Itaque ne Pindaro quidem, licet cum Therone et fortasse cum Polyzelo quoque vetere amicitia coniunctus fuerit, hoc tribuerim, ut carmini loco publico et circumfusa multitudine canendo imaginem inseruerit, qua regem tanti criminis incepti insimularet.

Huc accedit unum, quod gravissimum est. Carmen Pythicum secundum primis initiis discordiarum illarum compositum est. Hoc ex fine potissimum carminis apparet, ex quo haec laeta etiamnunc et suavis rerum species et condicio evadit: Polyzelus et amici, in quibus haud dubie Demareta quoque numeranda, illo tempore sic sibi persuaserant: Hieronis, quippe natura fratris, amicitiam et caritatem sibi inprimis deberi, sibi illam tanquam aliquo hereditatis iure certam et paratam, contestatam et consignatam esse oportere. Indignantur illi sane, quod adulatores et obtrectatores eam sibi eripere conati essent, sed confidunt, eam sibi tutam nihilominus futuram. »Deorum voluntate et instituto, inquit Pindarus, aliis alio tempore res prosperae et gloria eveniunt. Nobis haec nunc obtigerunt, vobis si modeste vos gesseritis in tempore evenient.« Haec locutus est Pindarus ut poeta, rerum dignitatem exornans, sed locutus non esset, nisi illo tempore spes etiamnunc et pignora concordiae fuissent. Verba sunt haec: v. 88 *χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν, | ὃς ἀνέχει ποτὲ μὲν τὰ κείνων, τότ᾽ αὖθ᾽ ἑτέροις ἔδωκεν μέγα κῦδος, ἀλλ᾽ οὐδὲ ταῦτα νόον | ἰαίνει φθονερῶν . . . | φέρειν δ᾽ ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγόν | ἀρήγει· ποτὶ κέντρον δέ τοι | λακτιζέμεν τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος.* Haec profecto talia sunt, ut magnam animorum fiduciam prodant. Iam vero his argumentis partim ex ipso carmine, partim ex temporum illorum historia collectis confirmati et muniti nunc confidentius et certius paullulum iudicium de Boeckhii coniectura ferre poterimus. Vir summus incomparabili eruditione omnia, quae ad hoc carmen illustrandum aliquid adferre possint, congessit eaque omnia acutissime examinavit. Sed quae dixit de Ixionis fabula, quasi Pindarus ea Hieronem propter agitatam consiliis fratris necem carpere voluerit, invita Minerva excogitata sunt. Boeckhii igitur explicatio quamquam in his tenebris unica lux videbatur, tamen missa facienda est.

Quaeritur nunc, num earum sententiarum, quae a Boeckhii adversariis prolatae sunt, ulla omnes veritatis in se numeros habeat. Sunt autem tres potissumum explicationes ab auctoribus suis egregio acumine expositae, quae nunc in quaestionem veniant. Primum speciosi aliquid habet sententia G. Hermanni, de officio interpretis in Opusc. VII p. 118, quam eruditissime et argumentis copiosissimis firmare instituit Tycho Mommsen, de Pindaro eiusque tempore p. 87 sqq. Hi ambo Ixionis imagine Anaxilaum, Cretinae filium, Rheginorum tyrannum, significari arbitrantur. Is Gelonis et Hieronis summam olim clementiam et benignitatem expertus fuerat. Nam cum ipse una cum socero Terillo Carthaginienses sub Hamilcare duce in Siciliam adduxisset (Herod. 7, 165; Mommsen, l. c. p. 89), quos Gelon in clarissima pugna Himerensi oppressit, tamen tanti criminis

veniam nactus est. Nihilominus huius tanti beneficii immemor Anaxilaus Locros, Hieronis amicos, bello terrere conatus erat. Altera pars carminis a Mommsenio p. 96 ad Hieronis et Polyzeli discordias refertur. Haec licet elegantissime a viro poesis Pindaricae inprimis perito exposita sint, tamen ea re laborant, quod, si admittantur, minime unius in universo carmine consilii continuatio et progressio comparet.

Diversam rursus explicandi rationem iniit Leopoldus Schmidt, de Pindari carminum recta interpretatione praeclare meritus, in libro de Pindari vita et poesi p. 193, qui ei potissimum rei operam dedit, ut huic carmini unam quandam sententiam subiectam eamque per omnes partes aequabiliter dispositam esse ostenderet. Summa vero eorum, quae in hanc sententiam elegantissume Schmidtius disseruit, haec fere est. Pindarus identidem frustra ab Hierone, ut Thebis relictis ad se veniret, invitatus est. Hoc quidem luculenter apparet ex narratiuncula illa in Schol. Vratislav. p. 10 (ed. Boeckh.): *ἐρωτηθεὶς πάλιν, διὰ τί Σιμωνίδης πρὸς τοὺς τυράννους ἀπεδήμησεν εἰς Σικελίαν, αὐτὸς δὲ οὐ θέλει· ὅτι βούλομαι, εἶπεν, ἐμαυτῷ ζῆν, οὐκ ἄλλῳ.* Pindarus igitur eodem nuntio, quo ad carmen Pythicum secundum pangendum incitatus est, simul talem invitationem ab Hierone acceperat, qua rex eum rogaverat, ut si forte turbarum civilium in patria urbe eum taederet, et si ex his fluctibus et procellis in tutum portum confugere vellet, Syracusas in suum hospitium veniret. Illis enim temporibus et diu etiam post popularis factionis studia Thebis viguisse Aristotelis testimonio, quod L. Schmidtius attulit p. 199, edocemur, Politic. 5, 3; p. 1302 b 29 *οἷον καὶ ἐν Θήβαις μετὰ τὴν ἐν Οἰνοφύτοις μάχην κακῶς πολιτευομένων ἡ δημοκρατία διεφθάρη.*

Itaque nostri nunc carminis ea est vis et is finis, ut Pindarus, cur venturus non sit, Hieroni se excuset. Prima pars, collaudato magnifice Hierone, fabulam de Ixione continet. Ea Pindarus significat, se minime Ixionis similem fieri velle, qui rerum suarum et conditionis suae parum memor nimium alta expetierit et gravi culpae implicitus ingenti casu corruerit. Huc tendunt verba v. 34 *χρὴ δὲ καθ᾽ αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον* h. e. unumquemque suarum virium et rerum modulo ea, quae sibi expetenda ducat, metiri oportere. Deinde vero (v. 52) ne hoc quidem satis decorum et ex moribus suis iudicat Pindarus, si in illam aulam regiam delatus morosum et asperum correctorem emendatoremque agere velit. Ab his partibus se poetae alicuius suae aetatis, quem Archilochi (v. 55) nomine nuncupat, tristi exemplo deterreri, qui immodice maledicendo omnibus odio fuerit.

In altera carminis parte collaudato rursus egregium in modum Hierone, Pindarus,

sicut opinatur Schmidtius, ei regis dubitationi occurrit, quasi poeta taedio turbarum civilium, quibus Thebae agitarentur, captus, Syracusas animo lubenti ut portum petiturus sit. Hieronis profecto aulam plenam esse adulatorum et calumniatorum. Sibi in patria civitate pro summo praesidio ingenium esse apertum, sincerum, ab omni fraude et simulatione alienum. Nunc si adversariorum factio superior sit, tolerandum id esse, nec vana ira obnitendum. Sibi unum esse, quod optet: ut cum optimatibus semper coniunctus vivat; conf. Schmidtium p. 203. — Iam hac quidem huius carminis interpretatione id egregie efficitur, ut in una sententia tanquam radice omnia nitantur, in ea una omnia inaedificata sint. Est autem haec. Pindarus in Hieronis hospitium et clientelam se conferre blande abnuit, duabus potissimum caussis se excusans; primum quia, quemadmodum Ixionis exemplum doceat, qui ad nimium alta enitatur, saepe praecipiti casu deorsum trudatur. Deinde quia, licet nunc Thebanorum respublica gravium turbarum fluctibus iactetur, tamen nullo tali praesidio et tutela egeat; nam in omni re publica virum fortem, veritatis amantem, intrepidum satis tutum et defensum esse. Sed haec omnia, licet egregio acumine et magna ad persuadendum vi exposita sint, nonnullis tamen difficultatibus impedita esse, negari non potest. Nam si hoc admittamus, Pindarum dicere, nolle sese in Ixionis similitudinem incurrere, qui dulci fraude deceptus (v. 37 *ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων, ἄιδρις ἀνήρ*, conf. Schmidtium p. 206) atroci casu interierit: cum hac interpretatione pugnare videtur, quod morum et factorum Ixionis eiusmodi imaginem poeta adumbravit, ut si cum Pindari ingenio conferatur, nihil dissimilius fingi possit. Itaque cum ab illa ingenii perversitate Pindarus alienissimus esset, fere necessarium est colligere, exitum quoque illum Ixionium in eum cadere non potuisse. Quo concesso viri praestantissimi argumentatio labefactatur.

Una etiamnunc reliqua est earum explicationum, quae a Boeckhiana discedunt, quam primo adspectu speciosissimam esse nemo infitiabitur. Protulit eam et subtili argumentatione defendit vir acri iudicio in Pindari obscura inquirens, Fridericus Mezger, in Philologo, vol. 35 (1876), p. 430 sqq. Is primum admonens, Pindarum in hoc carmine inprimis hoc spectasse, non ut Hieronem vellicaret, sed ut eum laudibus meritis exornaret et eius regnum omnibus commendaret, omnino duplex huius carminis argumentum esse censet. In priore parte sub Ixionis imagine cives seditiosos castigari, qui in tanta ornamentorum et beneficiorum multitudine, quibus Hieron rem publicam auxerit, tamen eius dominationem labefactare non desinant. Eos mentis perversitate et impietate Ixionem aequare. In altera parte Hieronem admoneri, ut adulatorum et calumniatorum gregem abiciat et aulam ab his sordibus liberet. Totius

igitur carminis partes pulcherrime inter se concinere. In priore quid cives principi debeant, in altera quid princeps civibus (p. 444 med.), insigni gravitate et iudicio in mediis partium studiis incorruptissimo doceri.

Haec explicandi ratio, quae ex ipsius carminis continuatione sponte quasi et nullis artificiis adhibitis prodit, propter ipsam simplicitatem magnopere placere possit. Verum tamen confitendum est, eam non satis rerum ipsarum imagini, quam praebet historia, respondere. Hieron ipse suam dominationem invisam reddiderat cum propter nimiam severitatem, tum potissumum indigno illo et maxume odioso civium arcana rimandi et speculandi studio; in proverbium fere abiit speculatorum illorum nomen: Aristoteles Pol. 5, 11 p. 1313 b 14: *καὶ τοὺς ὠτακουστὰς ἐξέπεμπεν Ἱέρων, ὅπου τις εἴη συνουσία καὶ σύλλογος.* Similis vox est *αἱ ποταγωγίδες* (Aristot. l. c. et. Plut. de garrul. 16), quod a meretricibus petitum ad illud servom abiectumque speculatorum pecus translatum est. Eos plurimi a Dionysiis demum introductos arbitrantur. Sed Hermannus Opusc. VII, 121 maxume probabiliter docuit, in versu Pyth. 2, 76 *ἄμαχον κακὸν ἀμφοτέροις διαιβολιᾶν ὑποφάτιες* hoc vocabulum *ὑποφάτιες* feminino genere procusum a Pindaro ideo usurpari, ut *ποταγωγίδας* paullo urbanius significet. His igitur tam malis in regnando artibus Hieronem uti, Pindarus cum luctu animadverterat idque in altera maxume parte carminis castigavit. — Iam si reputemus iniqua illa et indigna Hieronis ad dominationem firmandam artificia omnibus omnium ordinum civibus odio fuisse, et Pindarum enixe Hieronem rogare, ut ab hoc cursu et ipsi et reipublicae pernicioso deflectat: vix opinor credibile videbitur, in eodem carmine, in quo haud profecto iniustas civium nonnullorum iras ab Hieronis ipsius culpa poeta repeteret, Pindarum hoc egisse, ut gravi admonitione et proposita Ixionis imagine cives ad obsequium et gratum animum Hieroni praestandum cohortaretur.

Contemplati sumus sententias et explicationes a Boeckhiana discedentes. Omnes cum ab auctoribus ingeniosissime excogitatae sint, tamen nulla earum tam evidens est, ut omnes scrupulos ex animo evellat. Una vero potissumum res est, quam viri illi eruditissimi omnes praetermiserunt; ab ea Boeckhius disputandi de hac re initium fecit, estque profecto talis, ut ea nullo modo ad rectam interpretationem inveniendam carere possimus. Pindarus enim amicorum sibi dilectorum egregius est amicus. Eius rei cum alia sunt insignia et luculenta argumenta, tum carmen illud splendidissimum in Theronem, Olympicum secundum. Itaque Pindarus, qua erat in animis hominum aestumandis peritia et perspicacitate, cum post mortem Gelonis et propter Gelonis

mandata in testamento relicta, simultatum inter Hieronem et Polyzelum semina orta esse intellexisset, summa statim cura percussus est, eaque res haud dubie tam praesens semper eius animo, tam firmiter eius memoriae infixa erat, ut nunquam eam ex deliberationibus et meditationibus suis dimitteret. Iam cum felicissimus quidam casus, haec ipsa Hieronis in ludis Thebanis victoria, occasionem ei exoptatissimam attulisset, in qua quae dies noctesque eius animum sollicitum haberent, regi profiteri eumque labantem pulcherrimis praeceptis imbuere posset, quid Pindarum fecisse arbitrabimur? Num credibile est, Pindarum ullam omnino rem praestabiliorem, magis necessariam magisque dignam duxisse, quae in praecipua carminis parte illustraretur et enarraretur, quam hoc, ut, quantum in se esset, fratrem fratri reconciliaret et ambos in gratiam reduceret!

In mythica parte notum est carminum nervos et robur posita esse. Itaque in fabula de Ixione non verisimile est, Pindarum vel de Anaxilao, Rheginorum tyranno, vel de caussis, cur ipse ad Hieronem Syracusas venire nollet, vel de ingratis erga Hieronem et seditiosis civibus dixisse: immo hunc poesis suae pulcherrimum triumphum iudicavit, ut infelicissimi illius erroris causas aperiret et amicorum salutem periclitantem ab imminente naufragio servaret. Sed nunc cum neque Boeckhii neque adversariorum eius explicandi rationes ab omni parte satisfacere viderimus, novae rursus tenebrae oboriuntur. Sentimus, cum carmen perlegimus, gravissima profecto esse, quae Pindarus dicat; sententiarum pondus et splendorem admiramur; tonantem eum et Iovis instar adversus Hieronis adulatores fulgurantem assensu et gaudio prosequimur: sed totius carminis summum consilium, gravissimarum quarundam partium sensum et significationem, membrorum cohaerentiam et compositionem ignoramus; corpus in manibus est, anima nondum comparuit.

Sed fortasse haec quoque elici poterit. Carminis Pythici secundi pars prior post exordium (v. 13—48) in una potissimum sententia exornanda versatur: grati animi sensum et officium praestantissimam quandam omnis felicitatis et omnium virtutum partem esse. Illa Ixionis, quam finxit poeta, exclamatio v. 24: *τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι* rei summam continet; hoc praeceptum, quemadmodum in nonnullis concentibus musicis eadem ubique harmonia, ita in tota hac narratione resonat et recinit. Quid igitur est, cur Pindarus grati animi officium et praeceptum, Ixionis mytho involutum, tam enixo studio Hieroni commendet? Consilium eius hoc, opinor, fuit. Grati animi virtus, quam in hoc carmine Pindarus flammeis, ut cum Ennio loquamur, versibus aequalibus et posteritati propinavit, latiore et ampliore,

quam volgo fieri solet, sensu accipienda est. Intelligit enim animi quendam habitum continuum et universae vitae quandam contemplandi normam et rationem.

Nam uniuscuiusque nostrum vita copiosissimorum beneficiorum ornatu et quasi dote circumfusâ est. Mille sunt, atque miliens mille bona et dona, quibus, deorum immortalium benignitate, iam a primo vitae nostrae die tanquam paratissumis epulis cottidie fruimur, ut iure nobis omnibus gloriari liceat, Iovis et caelitum nos quasi epularum convivas esse. Quae sint, ubi sint, rogas? Circumspice. Universa vita magnum est et continuum beneficium; deinde potissumum: leges et iura, quibus vitam humanam dei immortales ex barbaria et immanitate ad cultum et humanitatem educarunt, instituta sacra et profana, dulcissima illa necessitudinis et amicitiae vincula, quibus cum homine homo consociatur: haec omnia nonne magno documento sunt, minime nos in hanc vitam tanquam in exilium eiectos esse, sed vivere nos locupletissimorum thesaurorum dominos?

Atque haec omnia dubium non est, quin primo loco dis immortalibus debeantur. Secundum deos haec accepta referimus maioribus et aetati superiori. Illorum labore et sudore nobis provisum est. Nam haec vita, in qua spiramus, quam intuemur, quae ad sese nos vocat, minime fortuitus rerum confluxus est, sed semper ex superiore quadam aetate continuis incrementis et cohaerenti progressione et partu prodiit. Nos ipsi, quantulum profecto est quod nostro Marte, nostris viribus edolare possimus! Ex omnibus, quae habemus et nostra vocamus, nihil non accepimus. Continua quadam hereditate summa illa beneficia, quibus omnis humanitatis cultus nititur, a maioribus ad posteros propagatur; haec aurea illa catena est, quam per manum quasi sibi hominum saecula et aetates altera alteri tradunt.

Sed haec tanta summorum beneficiorum copia, quibus nutrimur et sustentamur cottidie, num nihil quidquam nobis, ut faciamus, suadet? Immo magna voce suadet, clamat, flagitat, ut id ipsum nostrum faciamus, quod Pindarus Ixionem clamitantem finxit v. 24: *τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.* Nostra vita quemadmodum magnum est et continuum beneficium, ita non minus esse debet magnum et continuum grati animi documentum. At vero quomodo dis immortalibus nos homunculi beneficia rependere, eosque remunerari possimus? quomodo maioribus et antiquis benefactorum auctoribus, qui pulvis et cineres sunt, gratias referre valeamus? Etenim tale quid significat vox *ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους.*

Non sunt profecto hostiae opimae, neque sacrificia sumptuosa, quibus hoc efficias. Immo aliud longe est, quod illi postulant, quod pretium quidem nullum habet

et pretiosissimum tamen est, quod uno brevissimo vocabulo exprimas et quod tamen totius vitae regulam et normam complectitur: est gratus, est memor beneficiorum animus. Universa vita nostra sacrificium illud est dis immortalibus debitum. Itaque primum aeternas illas humanitatis leges, quibus vita nostra regitur et a barbaria vindicatur, diligentissume et lubentissume nos observare oportet. Quare semper nobis excubiae agendae sunt, ne unquam ex insidiis infestissima numina: libido, prava voluptas, avaritia, nobis obrepant et transversos nos agant. Hoc illud est, dis gratum animum testari: maiestatem eorum et leges revereri.

Deinde hoc quoque reputandum est, unumquemque nostrum in certam quandam vitae conditionem, in superioris aetatis hereditatem quandam nasci. Non fortuitum est, quo loco natus sis. Plurima sunt, quae maiores tibi reliquerunt; tela ista, quam illi inchoarunt, pertexenda est. Omnia illa beneficia, quae illorum merito tu sortitus es, simul officia tibi afferunt, pensum tibi imponunt. Itaque hoc profecto exigitur a te, ut in haec te insinues, haec diligenter scruteris. Gratum igitur animum, quem maiorum meritis debemus, ita nos testari oportet, ut semina ab illis sparsa eliciamus, custodiamus, sudore nostro et industria irrigemus, denique ad bonam frugem educemus.

Permagna sane hominum pars hanc rationem plane ignorans, promptissima et praesentissima illa bona stolido fastu aspernatur, longinqua et incerta aucupatur. Illi quae a maioribus acceperunt, vetera illa atque antiqua, aetate et die comprobata, ut anilia et obsoleta contemnunt. In eorum ingeniis animo grato nullus locus est. Superbiae et arrogantiae facibus instincti sortem, quae deorum decreto eis obtigit, se indignam iudicant; altiora semper, quam fas est, expetentes eo paullatim deveniunt, ut, qui ipsi sint et qua conditione nati, plane obliviscantur.

Huic arrogantiae plane opposita est suavissima et venustissima mediocritatis imago, quae laeta et contenta praesentibus non aliena et alta circumspicit, quam auream aureis verbis Pindarus descripsit v. 34: *χρὴ δὲ καϑ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.* Haec igitur animi modestia et temperantia tam coniuncta est cum grato animo, qualem Pindarus adumbrat, ut neutrum sine altero cogitari possit. Nam, ut summam nunc quandam eorum, quae supra dicta sunt, colligamus, gratus animus quid aliud est, nisi hoc: ut vitam nostram universam egregiae illi et praestantissimae harmoniae inseramus, quam di immortales condiderunt et per saecula propagarunt! ut eius aliquam nos quoque homunculi particulam effingamus! ut quae sapienter et salutariter maiores nostri instituerint, strenue pertexamus et posteritati tradamus! Modestia vero huius quidem mentis plane gemella

soror est; ea enim animum nostrum constantem, placidum, promptum facit; libidines et caecos affectuum impetus removet; efficit denique, ut pro vana gloriae umbra veram et solidam gloriam amplectamur.

Hac sententiarum cohaerentia patefacta iam apparet, cur in hac de Ixione fabula Pindarus duo illa praecepta tam arcte coniunxerit: unum, quo grati animi officium in hominum pectore infixum et insculptum volt, v. 24: *τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι*, et alterum, quo modestiam ut reginam quandam virtutum celebrat, v. 34: *χρὴ δὲ καθ' αὑτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.*

Conati sumus in superioribus exponere, quem locum Pindarus in hominum moribus aestumandis et emendandis grati animi sensui tribuat. Eorum vero, quae disseruimus, fons est Pindari de Ixione narratio. Nam Pindarus in hac materia tractanda non sapientiae magistrorum genere dicendi ieiuno usus est, sed, uti decuit poetam, imagine quadam magnifica, tragicae gravitatis plena, ad spectatorum praecordia ferienda efficaci, quid sentiret, exposuit. Introducit igitur Ixionem ferocem et violentum, qui nefario consilio et quasi bello indicto sanctissimas leges, sacrata omnis humanitatis palladia adgressus sit. Sed hae leges non verba inania sunt, non ventus et aer, non heri vel nudius tertius latae: sed aeternae, a dis ipsis constitutae. Itaque dei immortales earum ultores et vindices exoriuntur. Ille vero ingenti casu deiectus documento est, quemadmodum haud magno molimine et citra pulveris iactum homunculos maleficos deorum numen perdomet; quod hunc in modum Pindarus enarrat v. 49: *θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται, | θεός, ὃ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται | δελφῖνα, καὶ ὑψιφρόνων τιν' ἔκαμψε βροτῶν, ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκ'.*

Operae pretium est cognoscere, quomodo Ixionis malitiam magis magisque erumpentem Pindarus depinxerit. Iuppiter Ixionem in caelum receperat et caelestibus epulis dignarat eo potissumum consilio, ut pater ipse deorum optimus maxumus, quae est eius semper et ubique incomparabilis benignitas, summam delectationem caperet ex hominis alicuius plena et consummata plane felicitate. Opinatus autem fuerat, credo, e Pindari consilio, Iuppiter, in Ixione eam mentem futuram esse, ut non ipse tantum pio gratoque animo felicitate sua frueretur, sed ut operam etiam daret, ut quam plurimi eius felicitatis fructus ad ceteros quoque homines redundarent. Nam hoc summum est omnis felicitatis fastigium: alios felices reddere. Denique unum summo iure sperare potuit Iuppiter: fore, ut Ixion earum legum et institutorum, quibus

universae vitae humanae sanctior quaedam et mitior species conciliatur, fidissumum se custodem et tutorem praeberet.

Sed longe aliud in Ixione ingenium fuit. Primum enim insigni illo deorum beneficio pectus eius minime ad dulce illud et placidum gaudium, quod hominum gratorum esse solet, commotum est, sed vana insolentique superbia intumuit. Deinde legum illarum plane subversorem et hostem se ostendit. Nam statim antiquissimam illam et maxume venerandam, quae ceterarum quasi parens est, qua pietas erga parentes sancitur, perfidissime perrupit: Ixion enim primus e mortalibus parricidii exemplum edere ausus est, v. 32: *ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς*. Deioneum enim Diae patrem socerum suum sceleste interfecit. Atque in eodem facinore alii quoque legi sanctissimae, quae sub Iovis tutela per saecula religiosissume propagatur, fraudem fecit, legi, quae inviolatos hospites esse iubet: nam Deioneus hospitii iure confisus in Ixionis tectum intraverat. Postremo denique loco, novo aliquo crimine facinoribus suis quasi cumulum adiecit. Una earum ancorarum, quibus a turbulentis fluctibus vita humana defenditur et vindicatur, sanctitas matrimonii est. Atque in hoc genere quid omnino vel in caelo vel in terra sanctius cogitari potest, quam *ἱερὸς* ille *γάμος* Iovis cum caeli regina Iunone? Sed hoc quoque sacrarium, nullis verecundiae frenis prohibitus, Ixion temerare ausus est. Verum hic quidem conatus exitus furoris eius fuit. Iustissima Iovis ira percussus ad supplicium et cruciatum abreptus est.

Haec igitur est imago a Pindaro delineata; nec iam quid spectaverit, opinor, obscurum esse potest. Nam in hoc unum praeceptum omnes huius narrationis partes conveniunt: Vitam nostram neque casu neque arbitrio regi, sed deorum continuum beneficium et donum esse; itaque nobis quoque hoc potissumum propositum esse oportere, ut in omnibus rebus pro viribus semper animum gratum et beneficiorum memorem dis immortalibus testemur. Hac sola ratione talis vitae forma, quae vere humanitatis nomine digna sit, exoriri potest.

Cum hac vero sententia, quam in fabula Ixionis apud Pindarum inesse demonstrare conati sumus, egregie convenit clausula, quam huic narrationi poeta subiecit, qua Centauri gigantis et Centaurorum bicorporum ingenia describuntur (v. 42—48). Sententiarum transitus hic est. Cum supra gratum animum a Pindaro celebratum viderimus ut potentissumum illud vinculum, quo omnis hominum consociatio contineatur, ut pulcherrimum illud sidus, quo, quidquid in vita humana praeclari et pulchri est,

excitetur et alatur: iam Centaurorum exemplo edocemur, qualis sublato hoc pignore vita nostra futura sit. Centauri enim nulla tenerioris cuiusdam sensus suspitione imbuti strepitu inani gaudent; libidinis impetu feruntur, rapiuntur. Nulla ne reipublicae quidem notio in eorum animis insidet, quippe quibus mutua in dandis et accipiendis beneficiis officia plane ignota sint. Recte est in proverbio: *νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροισιν*. Talis igitur, tam omni fructu omnique dulcedine carens nostra quoque vita futura sit, ubi primum per malitiam gratus animus ex hominum communione sublatus sit, deinde ingens haec iactura lege ipsius naturae ad posteros transmittatur. Eius rei triste experimentum mundus vidit in Ixionis prole; atque mirum in modum efficacia sunt Pindari de Centauro gigante verba v. 42: *γόνον ὑπερφίαλον* . . . | *οὔτ' ἐν ἀνδράσι γερασφόρον, οὔτ' ἐν θεῶν νόμοις*.

Sed nunc iam ad eam quaestionem redeundum est, a qua disputatio nostra exordium cepit, quaeque caput omnino huius scriptionis est: quo consilio Pindarus Hieroni fabulam de Ixione narraverit. Fortasse in eis, quae supra exponere conati sumus, filum aliquod Ariadnae inest, quod ex tenebris ad lucem nos deducat. Pindarus sine dubio animadverterat, Hieronem illo tempore a recta via paullulum deflexisse atque in eius ingenio umbras nonnullas et naevos insedisse, quos Pindarus pro illo, quo hospites suos omnes vere sincereque complectebatur, amore ex Hieronis animo moribusque sublatos vellet. Hieron enim a Gelone hereditatem pulcherrimam auspicatissumamque acceperat. Gelonis dominatio vere popularis omnibusque in republica partibus accepta fuerat. Unum erat, quod magnopere, opinor, e Pindari sententia Gelon instituerat: aequissimum se ac praecipuum nobilitatis Doricae patronum praebuit: qua de re eruditissime dixit Tycho Mommsenius, de Pindaro p. 96. Itaque cum Hieroni dominatio tam pulchre firmeque fundata et stabilita obtigisset, quid eum facere oportuit? Nonne curandum ei erat, ut dis immortalibus et fratris praestantissimi manibus animum gratum mente et re testaretur? Itaque optime profecto fecisset, si e Gelonis vestigiis ne transversum quidem unguem discessisset. Nam hoc pulcherrimum gratiae referendae genus est, si quae ab hominibus optume meritis benevolentissime instituta et praeformata videamus, quae illorum etiamnunc spiritu calent, eorum anima perfusa sint, ea nos excolamus, exaedificemus, in eo campo a dis immortalibus nobis donato virtutis materiam nobis quaeramus.

Hoc est, quod ardentissumis votis in Hierone Pindarus expetit, quodque eius

pectori instillare volt, v. 24: *τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.* Daret igitur operam Hiero, ut concordiam cum Polyzelo fratre et Therone servaret, ut in omnibus rebus Gelonis saluberrimum exemplum exprimeret, ne pulcherrima illa stamina, a Gelone inchoata, immiti et dura manu abrumperet. Hieron enim mox post regnum initum haud obscura documenta ediderat, in rebus nonnullis gravissimis a Gelonis se auctorite plane discessurum esse: Gelonis fidissimis amicis spretis adulatorum et calumniatorum gregem in aulam admiserat; in amicitia cum Polyzelo et Therone, religiosissime a Gelone culta, discordiarum semina nasci passus erat; in multis, quae prudentissimis ille consiliis administrarat, Hieron ita potius, ut arbitrium et libidinem duces sequeretur, versatus erat. Attamen nihilominus Pindaro persuasum erat, in Hierone inesse ingenium natura bonum, nobile, generosum. Quare benevolentissime titubantem quasi manu adprehendit, in rectam viam deducere conatur, eique meliorem quandam purioremque sui speciem ostendit, ad quam redeat necesse sit, quam intueatur et induat, v. 72: *γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών.*

In hoc vero Hieronis regis cohortandi officio Pindarus minime ut unus ex aulicis poetis ludibundus versatus est; immo quemadmodum decuit verum et sincerum Hieronis amicum, quemadmodum decuit poetam, vatem, praeceptorem Graeciae: serio et pro muneris gravitate locutus, atroci illa fabula de Ixione interposita Hieroni tanquam Medusae caput ostendit. Hoc non ideo fecit ut criminis sive perpetrati sive consiliis agitati Hieronem reum faceret; nam nihildum tale rex admiserat; sed in Hieronis animo numina quaedam humanae felicitati infestissima domicilium ceperant. Ex tali hospitio, quae pernicies oritura esset, Pindaro, humani ingenii peritissimo aestumatori, notissimum erat. Itaque gravissima poesis suae tonitrua commovit, ut carum sibi consilioque egentem regem ad ea plane eicienda et extirpanda compelleret.

Quae in hac scriptione disputavimus, habent ea quodammodo apologiae pro Pindaro vim. Etenim vir in hoc litterarum genere incomparabilis eruditionis et ingenii atque pro signifero plane colendus, Fridericus Theophilus Welcker, in libro de Aeschyli Promethei trilogia p. 549/550 iudicium paullo, quam eius consuetudo fert, inclementius de Pindaro tulit, cum in fabula de Ixione enarranda illum dicit minus bene periteque, quam Aeschylum, officio functum esse. Hoc iudicium diu me pupugit, nec conquiescere mihi posse videbar, nisi macula illa sublata. Hoc spero nunc factum esse. Verum haec profecto non ita dicta sunt, ut viri eximii, dilectissimi

olim praeceptoris, cuius nomen cum Ritschelii nomine inseparabili societate coniunctum aureae cuiusdam aetatis meae memoriam mihi revocat, laudibus insultarem. Immo si qua est beatorum manium harum rerum, quae olim ipsis cordi fuerunt, nunc nobis sunt, nunc quoque cura et consideratio, non succensebit anima candidissima huic nostro incepto, sed laetabitur factum esse, ut de vate Thebano in hoc quoque difficillimo carmine nunc dici possit:

»intaminatis fulget honoribus«.

Verum haec eo consilio praefati sumus, ut hortorum nostrorum, quos Musis patronis enixe colimus et irrigamus, aliqua saltem dote et comitatu hanc tabulam exornaremus, in qua edictum longe pulcherrimum nunc perscripturi sumus.

Nam anno vertente recurrit dies faustissimus, quo universae patriae nullus pulchrior illucescit, qui tanquam Zephyrus suavi murmure mare stringens, ita per totius Germaniae fines undantis laetitiae fluctus volvit: quo die Augustissimus Clementissimusque Princeps, Germanorum Imperator Rex Borussiae, GUILELMUS I. lucem adspexit. Indicenda igitur sunt sollemnia ab Universitate Christiana Albertina in magna aula die XX. mensis Martii anni MDCCCLXXX hora I. post meridiem celebranda, in quibus communia omnium vota communemque laetitiam oratio ab eloquentiae professore publice constituto, Eduardo Luebbert, patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, ea qua par est observantia magistratus Regios perillustres cum civiles tum militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, scholae humanitatis studiorum fundamenta strenue iacientis praeceptores honoratissimos, nec non viros spectatissimos ornatissimosque, qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum Universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XIV. mensis Martii MDCCCLXXX.